



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiariam Et Loca quædam vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13553

construi curauit, in iisq; instaurandis splendidissimus fuit, sicut in Episcopali Palatio & arce Georgiana, alibiq; passim apparet: Arces autem iuri dicendo in agro Patauiensi dispositas, atq; alia suburbana & rusticana ædificia neglexit; in quibus est Haypachia & Tanneberga. In Catapaptistarum factionis hæreticos, aliosq; qui passim eo tempore odio Cleri suboriebantur, grauissimè animaduertit, quam plurimos vltimo ignis supplicio cremandos viuos tradidit, atq; deum supra triginta à Liechtensteinio Regulo in exilium missos, soli q; mutandi causa Patauiam confluentes, in carceres coniecit, donec toto triennio morerentur partim, partim custodum incuria elaberentur, Princeps fuit natura sagax, vsu rerum prudens admodum, æqui iustiq; amantissimus, parsimoniam & frugalitatem ignobili luxui longè anteferens. Quomodo Salisburgij præfuerit, dicitur in eius vrbis Episcoporum Catalogo.

68. **WOLFGANGVS**, Illustris & Generosus Comes à Salm, Nicolai Comitum aduersus Turcicas irruptiones murus diu fuit, ex pientissima domina Elisabetha, Rogendorfsen Baronissa filius, anno ætatis suæ 26. ex Præposito Ecclesiæ Patauiensis factus est Episcopus, mense Nouembris, circa festum Martini, anno 1540. commendatus Canonicis à Serenissimo Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Rege, Diuo Ferdinando: Princeps corporis quidem statura breui, sed animo verè Heroico; ita vt illud de eo possit dici:

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

FUIT vtriusq; linguæ Græcæ & Latinæ peritissimus, nullius veterum Philosophorum professionis ignarus aut rudis; ab incunabilis literas amauit, sine quibus nullam vitæ partem exegit, nullo non tempore in Bibliotheca, quam instructissimam habuit, incredibili studio sedens, Doctorum colloquiis familiaritate & amicitia plurimum delectatus est. Quamobrem præter Consiliarios & Ministeriales, quos plerumq; habuit literatos, alios etiam subinde fouit, non paucos eruditione claros inter quos fuerunt Iacobus Zieglerus Landouianus, Cosmographus insignis, alter veluti Germaniæ Ptolomæus, D. Sebastianus Gleisis, Medicus excellens, & Græcarum literarum cognitione nemini in tota Bauaria & Austria cedens, Ioannes Dugo Philonius, vir trium linguarum peritia clarus, Christophorus Collatinus Pannonius, venerandus Senex, Mathematicæ disciplinæ peritissimus, omnisq; antiquitatis admodum gnarus. Dicendi verò facultas tanta in hoc Principe fuit, vt videretur à natura ipsa ad eloquentiam natus: calluit linguam Gallicam & Italicam expedite. Habuit inter Concionatores pietate, & doctrina & virtute præstantissimum iuuenem, D. Sebastianum Sachsteterum Austriacum, anno ætatis suæ tertio, in obsidione Viennensi à Turcis captum, sed mirabiliter liberatum; ciues & subditos suos singulari beneuolentia sibi deuinxit, vt eum mira pietate & obseruantia reueriti sint. Instaurauit collapsas penè arces, Eberspergensem ad Trunam amnem infra Linzium sitam, Oberbergenssem ad Oenum, quatuor supra Patauiam miliaribus, à Wolfgero Episcopo conditam. Heckelbergi verò (qui locus in sinistra Danubij est, paulò super Patauiam) amoenissimos hortos cum variis labyrinthis, viuariis, & planè regia habitatione, magnis sumptibus adornari fecit: Quo animi causa subinde expatiari, & ingenium continuis studiis defatigatum, illic tanquam in Tusculano recreare solebat. Erexit ipse sibi in Meridionali Cathedralis Templi pariete monumentum eruditum, Prophetis & Apostolicis ornatum sententiis ex elegantibus &

ti & ingeniosissimè sculpro marmore. Matrem, insigni virtute & pietate præstantem matronam, cuius erat obseruantissimus, penes se vitæ & gloriæ suæ spectatricem habuit. Parentem heroa clarissimum amisit natus annis 16. Habuit fratrem germanum, & nomine & virtute militari patrem referentem, Cameraarium D. Ferdinandi, generalem Capitaneum Hungariæ & Austriæ, qui Agriæ in Vngaria obiit Anno 1550. 20. Decembris, Ex hoc fratre tres habuit Episcopus fratres Nepotes, Eckium, Regiæ Maiestatis Consiliarium ac Ministerialem, Iulium, qui item in Regia aula versatus est, & Nicolaum tertium, qui cum Patauiæ literis operam daret, Reuerendissimus iste Princeps, studiorum ipsius non modò inspector, sed etiam Rector indefessus fuit; Ita vt etiam Epistolas aliquot Nobilium adolescentum, qui tunc vnà studebant, emendare subinde non erubesceret, Præfuit annis magna cum laude 15. Obiit Año 1555. die quinto Decemb.

WOLFGANGVS secundus, antiqua Nobili ac primaria familia Bavarix ^{69.} de Klofen natus, Canonicus Patauiensis; successit Wolfgango, Comiti Salmensi, eodem mense Decembri in Vigilia S. Thomæ Apostoli electus. Fuit hic antea Canonicus Ratisbonensis, iuuenis comis & benignus; ita vt mox ad Capellam Episcopalem promoueretur; deinde ob morum humanitatem etiam ad Decanatum & Sacerdotium ordinatus est, in quibus intemperantius viuens, ad grauiores functiones minus idoneus factus est, articulari morbo per totum corpus contracto.

IMPESTRATA autem Pontificia confirmatione, consecratus est Patauiæ à Reuerendissimo D. Michaële, Archiepiscopo Salisburgensi, 5. Iduum Octobris; Dominica die sequenti, S. Maximiliano Patauiensis Ecclesiæ Patrono sacra, ipsemet, magna clarorum hominum corona circumstante, sub Infula Liturgiam perfecit, Anno Domini 1556. Porro deinceps rarissimè functiones Episcopales in propria persona peregit, eò quòd Chiragra, Podagraq; subinde recurrentes, morbosum corpus lectulo profus affigerent; proinde rerum omnium cura in alios reiecta, remissior subinde redditus est, sed & in Confratres suos, Canonicos Capitulares recta monentes, proteruior factus, cum illis similtates exerceuit. Visus enim illis est priuilegijs & compactatis eorum non nihil derogare velle, in amicis & propinquis suis euehendis intentior esse, mors gliscentem similtatem sopiuit. Obiit septimo Idus Augusti, Anno Domini 1561. sepultus in Templo Dominico versus Austrum, sub lapide ita inscripto: Anno Domini 1561. die Iouis septimo Augusti, obiit Reuerendus in Christo Pater ac Dominus, D. Wolfgangus ex familia à Klofen, Episcopus Ecclesiæ Patauiensis, cuius anima Deo viuat, Amen. Quo loco Successor suus, post annum vnum fermè, ingens marmor peristyllo proximo affixit, cum eadem ferè inscriptione, quæ supra.

VRBANVS à Trenbach, Canonicus & Præpositus Ecclesiæ Patauiensis, ^{70.} subrogatus est Wolfgango, eius nominis secundo, eodem obitus sui Mense 15. Calend. Septembris, qui fuit 18. dies Mensis Augusti. Hic iam ante, ob insignè eruditionem & rerum ageandarum prudentiam, ascriptus erat in Ratisbonensem & Salisburgensem Canonicū; & quoniam ipse Italiam & Romanâ urbem iam antea eruditionis & linguarum capessendarum gratia perlustrarat; Wolfgangus à Klofen, Antecessor suus, propter electionis suæ confirmationem eum iteratò Romam misit, vbi in quorundam Cardinalium amicitiam peruenit. Negotio itaq; gnauiter expedito, accidit, vt post Reuerendissimi Domini Michaëlis, Archiepiscopi Salisburgensis obitū Ioannes Iacobus Kuen, Decanus Brixinensis & Canonicus Salisburgen. illi in Episcopatu substitueretur. Hic electus Archipræsul hunc eundem Dominum Trenbeckium, suū confratrè, pro sui confirmatione Romam etiam tertio transmisit, vbi pro sua sedulitate in quo-